oĩa vovisse & cupiam, perpetuo mihi liceat vultu
tuum adorare et clementiam fovei. A° MDCLXIX.
iij Maij

Joh. Lud. Fabritio S. Thi. Doctori et Professori. 466.

Mitto tibi historiam Friderici Victoriosi quam
ante annum scribere aggressus sum, peto que et oro ut
illam Serenmo Electori tradas. Statueram apud me
illam premere nonum in annum, quod Venusinus Vates
jubet, sed consilium meũ destruxit benignitas maxi-
mi Principis, cum me Professione Academica or-
nare voluit. Itaque ut sanctissimae liberalitati gratias
agerem, summa festinatione hanc historiam ex chartu-
lis, in quas rudi eam mole conjeceram colligendam
dedicandamque duxi; quum non aliud munus in potestate
esset mea, quo virum summum adorarem. Interim
dum illa pietate rapior, et celeri manu rem de-
scribo multa et gravia vitia in leges historiae com-
misi quae legentium animos ab laude mea facile a-
vertent. Nam et judicio nonnullis in locis aberravi,
et alibi jejuna dictione magnitudinem rei corrupi,
alibi diffusa et importuna narratione factum profudi.
Etiam reperi cum legerem oĩa, me eandem alibi
dictionem bis repetiisse quo non alius gravior error,
historiam inquinare potest. Sed illa et ipse vidi emen-
dare potuissem, si longiore tempore curam admovere
licuisset. Fatetur noster Leodius, se infinito labore et multis
vigiliis annales suos confecisse; nam ut legisse me
memini, tredecim annos illis inhaesit et impalluit.
Si mihi tam laborioso licuisset esse, fortasse historiam
extruxissem, quae ad seculi laudes consurrexisset, et se
sustulisset. Liceat ita confidenter loqui, quem ut
ille ait, nihil magis quam fiducia sui ipsius scripto-
rem decet. At nunc, ut tu solus nosti, paullo
ultra anni operi insudavi; interea non modo occu-
patus

occupatus quotidiana institutione Principis fui, sed etiam me modo Mathematicum, modo Tranccothalium aula abstraxit et plane diligentiam meam interturbavit. Adhaec tanto silentio, tanta religione illud horribile secretum meae Historiae semper celavi, ut nullus mortalium praeter te in hunc usque diem id deprehenderit; quod quam grave et periculosum Scriptori sit, qui multis variis monumentis indiget et plurimorum judicio rem aestimare debet, facile prudentiores agnoscent. Certe libertas mihi scribendi hoc modo erepta fuit et dum furtim ad commendaria rerum Palatinarum mihi perveniendum erat, ipse saepe aut festinanter rem non vidi aut timide carpsi. Qui Historiam Victoriosi recte atque ordine perscribet, hic ex Archivis Principum eruendus, hic per agros, per oppida circumducendus est, quos magnificus et triumphator animus olim obivit, atque expugnavit. Sed et languide acumen in secretiora Principis consilia intendi, et nuda simplicique narratione rem gestam deduxi. Fateor si mihi Casimirus aliusve, aut Carolus Ludovicus describendus fuisset, fecissem quod Benjaminus Priolus nuper argute praestitit et callida mente in arcanos principum inspexissem. Nunc nuda oratione contexenda erat vita Principis, quam ex vetustis Monachorum scriptis et dispersis monumentis haurire oportuit. Vide Vir Clarissime, quam ambitiose excusationem vitiis meis obtendam. At nec sum tam iniquus laboribus meis, ut illos plane abjiciam aut ignave contemnam. Sane cum in omnibus disciplinis et scientiis nihil difficilius aut gravius habeat, quam latine scribere et historiam componere; multum mihi praestitisse videor, quam in utroque opera audacter posuerim. Surgere me alibi memini et hic spiritus historico

dignos

dignos laxare animū; nec mihi displiceo, ubi bella 1669. 481
memoro et acri oratione pro Principis mei justitiā
in hostes declamo. Et illi me non fraudabunt gloriæ et
laude, qui stylum nostrum considerabunt, ad id enim
magno studio enisus sum, ut Latinè scriberem.
Si alibi languida ... numero periodos voluo,
si dictionem eandem recoquo, si inepto alibi voca-
bulo genium linguæ violo, ista et ipsemet observa-
vi, et emendabo, si curam operi admovendam Pru-
dentissimus Princeps jusserit. Quo si me meam Hi-
storiam dignaret respicere et erudire, uti scribas
suos informat et emendat, certè procurarem, ut
historiam haberet Majestatis suæ pondus et nec Fri-
dericū Scriptoris sui, nec me laboris poeniteret.
Hæc longius liberiusq. scribo, ut tibi demonstrem me
non admodū inhabilem ineptumq ad historiam
componendam fore, si otium et tempus mihi conce-
deret. Unum est quod adhuc rogem, ut dili-
genter cures, quo brevi fruar benignitate Princi-
pis et Academiæ vestræ solenniter inserar. Fa-
teor nec ambire Patres Academiæ, nec prensare
singulorū manus possum, ut me in collegium suum
admittant. Si heri aut nudius tertius demum venis-
sem ex Westphalia, libenter in ista officia descen-
derem; nunc dimissus à magni Principis institutio-
one, paullum ambitiosus sum, nec facilè patior,
ut aulicum meum supercilium ad majestatem
hominum urbanorum se demittat. Sed ignosce jo-
canti, et quod semper fecisti, res meas fovere, meq
amare persevera. Val 13ª M.DCLXIX.

Serenissimo Principi Electorali
Palatino Carolo. 407.

Super fortunam meam, Domine, nihil unquam
elegantius et pulchrius literis vidi, quas nuperā
septimanā ad me dedisti. Di boni, quām de-
coro numero stylum ligas, quām prudenter